

ur: alios vero colores ex mixtione humorum contenta recipiunt hæc. Quod si nullus esset mixtus cum pituita humor, essent ab initio contenta alba, verum quoniam raro fit ut bilis non misceatur cum pituita, ideo ab initio flavescent rubescuntque contenta, quæ postea vincente assimilante, natura, alba ut diximus redduntur. Odorem in contentis etsi ratio ponit provenire bonum aut certe non fœtidum, quando concoctio absque vlla putredine peracta est: malum vero plus vel minus quando putredo præualet, aut concoctio cum putredine: tamen sensus non agnoscit, nimirum quod misceri soleant cum liquore yrinæ, & cum eo spectentur indicenturque. Sunt contenta hæc, ut diximus, aliquando lenia, aliquando aspera. Lenia appellat Montanus, quæ tangenti nullam resisten- tiam faciunt, nec cedunt tactui, in hoc enim differt lenis a molli, quæ etsi vere dicantur in his quæ ta- cta dijudicantur, tamen contenta in yrinis tactu nequaquam dignoscuntur esse lenia vel aspera. Qua- re melius Galenus lenia hæc esse definit, quæ partes habent quæ non subsultant, id est altiores qual- dam, alias depressiores, quas qualitates visus deprehendit. Fiunt autem lenia contenta hæc per inte- gram assimilationem materiæ tunicis venarum & arteriarum. Quæ lenes sunt, ostendunt & calo- rem naturalem vicisse exacte materiam, ut qui reiectis heterogeneis partibus, reliquas perfecte cla- borauerit, & ad lenitatem redegerit. Hæc porro æqualia dicuntur contenta esse, quæ partes habent inter se similes: & æqualitas spectatur in colore, lenitate, crassitie, tenuitate, & vnitate. Nam si diversi colores apparent in contentis, aut si vna pars est crassa, alia tenuis, alia lenis; indicat æqualitas perfe- ctam naturæ actionem, & propterea robur agentis facultatis & caloris mediocritatem. Vbi enim hæc ita habent, quæ patiuntur, ad certam æqualitatem rediguntur. Est autem optimum signum quod sumitur a lenitate in contentis: secundo loco ab æqualitate perfectiorem enim ostendit natu- ræ actionem lenitas quam æqualitas, prius enim æqualia redduntur contenta, postmodum vero lenia. Laudant etiam Arabes in sedimento figuram pyramidalem. Et merito quidem, ostendit enim talis figura exactam mixtionem partis aeræ & terræ atque aqueæ, & perfectam concoctionem. Vbi enim aerea portio exacte est mixta cum alijs elementis, nequit subito tolli: & ubi non est facta assa- tio quæ partes aereas consumpserit, necesse est spiritum & aerem concludi, moderatum & paulo cras- siorem factum id non ex mixtione aliorum sequitur. Huiusmodi ergo spiritus & aerea portio ita as- secta suapte natura leuiter attollitur, & secum trahit moderatè partes aqueas, & leuiore, atque ita reli- cto quod grauius est in fundo, & sublato quod leuius est, tandem in acutiem desinit. Quo modo va- por ignitus ita moueri videtur, facit ut contenta hæc quæ subsident, pyramidalem figuram hanc ca- piant, quod in nubecula & sublimamento nequaquam fit nam in illis terrenæ non sunt tales partes, quæ deorsum vergant, nec spiritus qui moderatum eum motum seruare possit. Illud quoque obser- uandum est, non solum in contentis, sed & in alijs conditionibus bonæ yrinæ, ut quæ bona sunt po- steaquam apparuerint, perseuerent in illis temporibus in quibus apparere sunt apta. Nam si in vna die apparent bona contenta, postea nulla conspiciantur, aut mala; materiæ diuersitatem & inæqualem actionem ostendunt. Quare oportet perseuerare quæ bona sunt, & meliora fieri in dies, donec perfe- ctionem sint affecuta. Propterea videmus in ægrotis yrinas aliquando habere sublimamentum, vel nu- beculam; eos tamen mori: quoniam talia contenta infimum locum non petunt, nec æqualitatem & le- nitatem & perfectum colorem acquirunt. Nemo tamen exigat in omni morbi tempore huiusmodi perseuerantia. Nam inuadente accessione febris, vel crescente aut etiam vigente, contenta non appa- rent in yrinis, quæ etiam tenuiores & decoloratiores eo tempore minguntur. Nimirum quod in illis temporibus natura nihil adhuc separare potuerit quod istorum est causa in yrinis. Hæc dicta sunt de nubecula, enæoremate & sedimento, quæ & bona & mala esse possunt. Sequitur ut de illis agamus quæ perpetuo sunt mala.

De his quæ perpetuo mala in Yrinis apparent. Cap. XX.

HÆC in yrinis mala sunt perpetuo, grumus, carunculæ, sanguis, lapis, pus, arenula, ver- mes, dracunculi, pili, atomi, & sedimenta farinæ simillima, quæ Græci κρημνοειδη vocant: alia sunt orobea quod orobo simillima sint: aliquando surfurea sunt sedimenta, aliquan- do squamosa & foliacea, quorum omnium causæ docendæ sunt. Grumus fit a sanguine, nam sanguis quum extra propria vasa emittitur, concreuit & grumus fit siue thrombus. Nil aliud est grumus quam sanguis concretus. Effunditur autem sanguis vel aperto uel rupto vel eroso aliquo vase ad yrinam destinatio, aut excreto sanguine & expulso ad vias uring, tunc enim cum yrinæ misceatur, & in ea subsidet, quoniam res grauis est & crassa. Carunculæ sunt exulcera- tis renibus, nam a solida & crassa renum substantia non nisi frustulatim potest aliquid abra- di. Subsident ergo eiusmodi carunculæ, quia graues sunt. Cæterum sanguis qui misceatur, vel bonus est & tunc yrinam reddit rubram, contingitque eum cum yrina misceri vel vitiatu va-
sis